

Theodor Johann Quistorp

**Theodori. Io. Qvistorpii I. V. Licent. De Origine. Indole. Ac. Nonvsv. Distinctionis  
Votorvm. Electionis In Maiora. Et. Saniora Meditatio Ecclesiastico. Historica.**

Rostochii: [Halle]: Stanno Adleriano: Prostat In Officina Fritschiana, MDCCXLIV.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1748148176>

Druck Freier  Zugang



Ja - 1126(11)<sup>37</sup>















THEODORI. IO. QVISTORPII  
I. V. LICENT.  
DE  
ORIGINE. INDOLE. AC. NONVSV,  
DISTINCTIONIS  
VOTORVM. ELECTIONIS  
IN  
MAIORA. ET. SANIORA  
MEDITATIO  
ECCLESIASTICO. HISTORICA.



17.

---

ROSTOCHII,  
STANNO. ADLERIANO. MDCCXIV.  
PROSTAT. IN. OFFICINA. FRITSCHIANA

---

Ja-1126 (11)<sup>37</sup>



\* \* \*  
\* \* \*


STRAVCHIVS

*in praef. altera ad amoenitt.  
iuris canonici.*

PORRO vel inprimis species legis aut canonis inue-  
stigari debet, quam vero ἐκ τῆς περιστατικῆς, ex causa, & ra-  
tione, quamobrem ita constitutum fit, inquire oportet.  
ITA inuestigandum est, quo auctore, cui personae, de  
qua caussa & negotio, qua occasione, cui loco & tempori  
scriptum, quis status ecclesiae atque reip. tum fuerit,  
quando ita rem decidi intererat. & haec explorata ha-  
bere, non solum ad solidam textus, vti loquimur, intel-  
ligentiam, eiusque dextram applicationem & vsum  
necessarium, sed & iucundum apprime  
est, atque liberale.

\* \* \*  
\* \* \*

LD. 2271







DE  
ORIGINE. INDOLE. AC. NONVSU  
DISTINCTIONIS  
VOTORVM. ELECTIONIS  
IN  
MAIORA. ET. SANIORA  
MEDITATIO  
ECCLESIASTICO. HISTORICA

---



§. I.

ORDINARIA ad *praelaturam* ecclesiasticam  
perueniendi via est *electio* capituli (a). haec  
triplici modo fit (b): vel per *scrutinium* ;  
vel per *compromissum* ; vel per *inspirationem* (c) tres au-  
tem hos inter modos *ordinarius* est *scrutinium* (d).

(a) ITA enim VIR. ILL. I. H. BOEHMERVS *iure eccl. protest.*  
*tomo I. tit. de electione pr. §. I. Electio est, inquit, VIA. OR-*  
*DINARIA perueniendi ad DIGNITATEM. ECCLESIA-*  
*STI.*

A



STICAM, unde ipsa beneficia ei annexa, vocantur ELECTIVA, sicuti MINORA dicuntur COLLATIVA, quia SINE ELECTI-ONE alicuius collegii canonica, CONFERRI dicuntur ab eo, cuius CONFERENDI competit.

(b) per c. XLII. X. de electione, quod formam electioni praescribit.

(c) VEL potius *conspirationem*. ita enim ILL. BOEHMERVS c. l. §. LI. *Vt plurimum* inquit, talis electio (per inspirationem) per CONSPIRATIONEM magis, quam per inspirationem fieri, dici posset, quod vel in electione pontificis apparet. Quamvis enim in Bulla GREGORII XV. multa *conspirationes*, secundum quae talis electio diiudicari possit, praescripta sunt, tot tamen fraudes & machinationes in conclavi fabricantur, ut iis locus esse nequeat. Quin potius hac via nonnumquam uti solent, quando alio modo si ad scopum suum peruenire nequeunt, qui quidem de certo subiecto eligendo CONSPIRANT, ut tamen eorum suffragia duas tertias haud constituent. Ex abrupto enim, quasi INSPIRATIONE quadam impulsivi, exclamare solent: ELIGO IN. PONTIFICEM. SVMMVM. N. N. Clamor ita excitatus mox incrementa capit, quem saepe vel illi ingeminare coguntur, qui antea dissentiebant, & tandem omnes uno ore ad eosdem clamores trahuntur, ut ita nouiter electi pontificis gratiam ambient: qua ratione electus est anno 1667. CLEMENS IX. vid. TABLEAV. DE. LA. COVR. DE. ROME. P. I. c. III. p. XLV. FRVSTRA autem, quod addo, huius historiam conclavis quaesieris in libro illo perraro de conclauibus pontificum romanorum, qui ipso hoc anno MDCLXVII. prodit sub rubro: *Conclavi de Pontefici Romani. (IV.)* rationem quidem huius defectus collector hanc affert: *Quello (conclave) di Clemente IX. eletto nel 1667. non si è potuto produrre cogli altri in questo istesso tempo, POI. CHE. ASPETTIAMO DI. HAVERLO. IN. BVONA. FORMA. Ma si porrà cura a cio CHE. SEGVA. QVANTO. PRIMA per l'intera sodisfazione de' Lettori. ecquis vero prudens veram, quaeso, non statim subolet rationem?*

(d) vid.



(d) vid. ILL. BOEHM. c. l. §. LIII. pr. de forma autem eius agitur in cit. c. XLII. X. de elect.

## §. II.

SCRVTINIVM in genere denotat finitionem causae cuiusdam per collectionem *suffragiorum* seu *votorum* (e). ELECTIO itaque per SCRVTINIVM nihil est aliud, quam candidati, per collectionem *votorum capituli* (§. l.), ad praelaturam ecclesiasticam (§. eod.) promotio (f).

(e) ORIGINES huius moris a *graecis* repetit B. IOA. HENR. SIBRAND antecessor olim nostras famigeratissimus, in diis. de ἰσωψηφία, seu iure *parium tabularum*, priori: §. IIX. quin ipsam vocem *scrutinii*, quam minus latinam innuit esse V. C. I. F. NOLTENIVS *lexico antibarbaro*. (VIII.) v. *scrutinium*, p. m. 432, quum manifesto descendat a voce *scrutari*, ex graeca radice deriuat graecanizans, vel hebraizans etymologista, CHRISTIA. BECMANNVS in *manuductione ad lat. linguam*, §. de *originibus lat. linguae*, (VIII.) v. *scruta*, p. 980. fallitur autem NOLTENIVS c. l. v. *scrutari*; dum vocem hanc tantum de *profundo* adhiberi vult. quum tamen procul dubio a voce *scruta* veniat; haec autem *omnis generis veteramenta* designent, docente ipso ad v. *scruta* c. l. p. m. 132. conf. item BECMANNVS l. *all.* & lexicographi. DE *symbolis* in collectione *suffragiorum* adhiberi solitis, vid. cit. SIBRAND. d. l. §. VII. *sqq.*

(f) vid. BOEHM, c. l. §. LIII. *sqq.* alii.

## §. III.

IN. REBVS & causis, per *suffragia*, seu *vota* (g) illorum, ad quos decidendae pertinent, definiendis, *pluralitatem* *votorum* pro iure esse, ac omnium consensui aequipollere debere; & ratio naturalis (h), & LL. scriptae,



*ura romano huc perti-  
tae, ff. ad municipa-  
l. 46. C. de Dationon*

tae, <sup>F</sup> & omnium locorum, collegiorumque consuetudines constituunt (i),

(g) VOTVM seu SVFFRAGIVM in genere, definiente B. KOEHLERO *iur. social. & gentium*, (IV. & VIII.) *spec. I. §. CXI.* est voluntas, vel noluntas, a socio societati declarata, de negotio, quod in deliberationem venit.

(h) vid. KOEHL. *c. l. §. §. CXV. CXVII. MCCCC. MCCCCII. MCCCCVII. & MCCCCX.*

(i) LEGATVR instar omnium SIBRANDVS *loco supra all. a §. I. usque ad §. VII.* quem penes hanc nostram adsertionem quadruplici primo ratione demonstratam, dein LL. & consuetudinibus firmatam, tum ab obiectionibus & dubiis aliorum feliciter liberatam deprehendes, conf. etiam COCCEIVS *d. de eo, quod iustum est circa numerum suffragiorum*; FRCF. MDCCV. & BOECLERVS *de calculo MINERVAE.* quae vero THOLOSANVS de rep. lib. IV. c. V. habet, ad pia quidem, at inpossibilia desideria, & CAMPANELLAE *ciuitatem solis* pertinent.

### §. III.

SECVNDVM hanc ergo vniuersalem legem (§. III.), is per scrutinium electus dicendus foret, in quem vel omne capitulum, vel maior eius pars, consenserit (§. §. I. II. III.). ipsa vero *electio per scrutinium* definienda esset, quod fit: *modus eligendi ordinarius* (§. I.), quo quis candidatus per vota capituli vnanimia, vel maiora numero (§. III.), ad praelaturam (§. II.) promouetur (k).

(k) QVARE omnino laudanda VIRI. CEL. I. GE. PERTSCHII *definitio, qui elem. iur. can. & protest. eccl. P. II. §. CCLXXXV.* scrutinium finit, quod fit: *Modus eligendi SOLEMNIS, ab omnibus, qui ius eligendi habent, peragi solitus, vi cuius ille ad PRAELATVRAM peruenit, in quem MAIOR. PARS eligentium consentit.* vid. etiam BOEHM. *instit. iur. can. lib. I. tit. V. §. XXXVII.*

### §. V.



## §. V.

VBI pluralitate suffragiorum, seu votorum causa determinanda est, ad qualitatem votorum, & dignitatem suffragantium respici non debet: sed vnice ad quantitatem votorum, seu numerum (l). ponderari seu aestimari vota dicuntur, si ad eorum qualitatem reflectatur. quatenus vero eorum non nisi quantitatis, seu numeri, ratio habetur, ea numerantur (m). vota itaque non ponderari, sed numerari debent. hinc idem in electione praelati (§. I), per scrutinium, seu suffragia (§. II.) peragenda, obseruandum (§. IV).

- (l) LEGATVR. SIBRAND. c. l. §. II. & IV. eleganter PLINIVS iunior epist. XII. lib. II. NVMERANTVR enim sententiae, scribit, non ponderantur, nec aliud in publico concilio potest fieri, in quo nihil est tam inaequale, quam aequalitas ipsa nam quum sit impar prudentia, par omnium ius est.
- (m) vid. KOEHLERVS d. l. §. MCCCC.

## §. VI.

VERVM aliter constituunt DECRETALES pontificum. VT vt enim hae quoque maiori parti suffragiorum totius capituli standum esse in electione praelati (§. V.), constituent (n): id tamen praeterea ad maiorem partem requirunt constituendam, vt simul etiam sit sanior (o). SANITAS vero haec in qualitatis praerogatiua consistit (§. V.).

- (n) c. XLIX. X. de elect. conf. BOEHM. instit. iur. can. l. §. XXXVII. in f. & §. XXXII. pr.
- (o) c. eod. & LV. LVII. X. eod.

*praemissatur: can. in  
re domini diff. de. c. d.  
reprehensur. l. abo*

## §. VII,

HARVM vi constitutionum papalium, in contenti-



## VI

osa *praelati* (p) electione, per scrutinium facta, si altera pars suffragantium numero; altera pars eligentium auctoritate, electique meritis praepolleat: neutra valet electio. quia vt a *maiori* & *saniori* quis parte electus fit, iunctim requiritur (§. VI.) (q). quod si tamen alterius partis numerus altero *duplo maior* fit; eius electio indistincte valet: dummodo idoneus electus fit (r).

(p) DE electione enim *papae* notum est omnibus, quod a paucioribus, quam duabus *CARDINALIVM* partibus, eligi non possit, c. *VI. X. a. t*; quae *sanio*rem partem *absolute* constituere creduntur. *C. IX. eod. in 6. conf. A. CORVINI ius can. lib. I. tit. IV. §. XVI. & BOEHM. instit. iur. can. l. c. §. XXXIIX. num. c.*

(q) vid. *CORVINI ius can. lib. I. t. IV. §. XVII, it. BOEHM. l. c. §. XXXVIII. num. b.*

(r) Vid. *CORV. d. l. §. XVIII. vi c. IX. h. t. in 6.*

(r\*) *MODYS* eligendi *RECTOREM* huius academiae olim plane singularis fuit; ita, vt ex sorte, compromisso, ac scrutinio compositus fuisse videatur. placet in gratiam eorum, qui vetusta rerum argumenta libenter scrutantur, integrum locum hae de re agentem, ex codice quodam veteri msto, *Statutorum academiae rostochiensis*, huc transcribere: & stili quidem barbarie, & temporum absentia, satis obscurum. *Modus eligendi Rectorem Vniuersitatis*, ita legitur cap. *II. de Electione Rectoris*, talis est. *Tres Electores Rectoris per sortem ex stipendiatis eligantur, qui sub eorum iuramentis eligent in Rectorem ex caeteris stipendiatis, prout eis visum fuerit, meliorem, ante extinctionem seu consumptionem vnius paruae candelaee cereae ad longitudinem indicis accensae, ipsis pro termino praefixae, sub poena priuationis sui stipendy per medium annum, Ita tamen, quod nihilo minus suas exercean regentias legendo, non obstante salary priuatione. Modus sortiendi sit iste. Rector Vniuersitatis faciat apportari quendam librum plurium foliorum, in quo saepius proyciat, donec caeteris sufficiat de Concilio Vniuersitatis, & in electo*



lecto folio secundum ordinem, quem Consiliary elegerunt, Rector antiquus habebit literam in superiori linea primam, secundum ordinem electum. Immediatus post eum literam eiusdem ordinis in secunda linea, si non fuerit eadem cum litera Rectoris antiqui, Alias ibit ad literam sequentem in eadem linea tam diu, quousque inueniet literam aliam, & ita per totum in lineis procedetur usque ad ultimum inclusuè, & ita quolibet de Concilio Vniuersitatis certam Literam Alphabeti habente, illi tres, qui literas secundum ordinem Alphabeti priores per praemissam sortem habuerint, erunt novi Rectoris Vniuersitatis Electores, & praemisso Iuramento de eligendo idoneum ad electionem procedere debent.

Iuramentum vero Electorum Rectoris

Vniuersitatis est.

Ego N. juro, quod ad officium Rectoratus eligam, quem ad huiusmodi officium secundum meam conscientiam pro posse & nosse iudicio MELIOREM. omni amore odio, aut priuato fauore exclusis. Sic me Deus adiuuet & Sanctorum Euangeliorum conditores. vah! quanta religione, quas nugas egere patres.

### §. II.

ATQVE sic in electione *praelati*, per scrutinium peragenda (§. I. II.), eaque contentiosa (§. VIII), quoties altera pars suffragiorum numero; altera qualitate praeualet (§. eod.); vota non numeranda (§. V.), sed ponderanda (§. eod.) sunt (§. VII.). nec iuuat numero maiorem partem, quod totius capituli maior sit (§. VI.): si altera sanior videatur (§. VII.). sed neutra electio ualet (§. eod.): quod nisi, quae numero maior est, altera duplo maior sit; & idoneus electus (§. eod.). hinc fundatur DISTINCTIO. SVFFRAGIORVM. ELECTIO-  
NIS. SEV. VOTORVM. IN. MAIORA. ET. SANIORA (§. VI.): de qua nobis sermo est. cuius ergo INDOLES ex haecenus dictis satis, speramus, distincte perspicitur.

### §. IX.



IVDEX harum controuersiarum, quae circa electiones per suffragia, seu scrutinium definiendas, emergere possunt (§. VII); in germania (s) competens est, vi concordatorum germaniae (t), praesul romanus; ipse huius nomothesia architectus (§. VI): cuius quidem arbitrio confirmatio electionum capitulorum relicta fuit (t). has ille suo pro arbitrio aut confirmat; aut cassare potest (V). posteriori facto, beneficium quaestionis, ut loquuntur, tamquam vacans, eius ipsius prouisioni subiacet (v): atque ipse ex placito, quem vult, praelatum constituere potest; ex potestate ipsi per concordata concessa (y).

(s) QUID in GALLIA iuris pontifici circa praelatorum electiones; aliasque causas; atque in genere beneficia ecclesiastica circa, tam in regem, quam capitula competat; vel potius non competat: eleganter ex monumentis historicis depromit IEROME. à COSTA, dans l'histoire de l'Origine & du Progress des Reuenus Ecclesiastiques, Oü il est traité selon l'ancien & le nouveau Droit, de tout ce qui regarde les Matieres Beneficiales, de la Regale, des Inuestitures, des Nominations & des autres Droits attribués aux Princes; libello & politissimo, & minus vulgari; quem DEO volente aliquando, patrio idioma donatum, & notulis comitibus auctum, reddam frequentior. prodiit, quae mihi ad manus est, editio FRANCO-FVRTI apud FRID. ARNOLDVM anno MDCLXXXIII in VIII. forma. #

(t) INFAVS FISSIMO libertati ecclesiae germanae, (de qua festium conscripsit commentarium, lumen illud germaniae mediae SCHILTERVS;) fidere, anno MCCCCXLVII (secundum alios a. MCCCCXLIX) inter IMP. FRIDERICVM. III. siue V. & NICOLAVM. V. P. R. pactorum. vid. I. F. PFEFFINGERI. VITRARIVS illustratus, lib. I. tit. XV. §. XXIII. portiora

hoc iudicium, cum an-  
circa electiones prae-  
um disceder, peres-  
nabores fuit. Ita enim  
de. 1517. imp. cum d.  
ent suffragia into-  
hum et Edmarum, un-  
los Archiepiscopus  
rensis, ait: Procipta  
claudine maiorum, vbi  
fit in duobus suffragi-  
is Wimbarek, in eorum et  
vas Imperatori, quem  
idoneum consilio pro-  
ufficere, apud HANNO-  
u. 14. Annal.  
rens. d. 1. 1155.

potius RICHTER D. V. 1748  
OSIUS, qui sub ficto  
omina latere soluit,  
audiam effugere: ma-  
celebrat. NOTIUS in  
fatione ad disp. de vera  
ra conuentionis bononi-  
letia Hierosolymitana  
di. 1. ad historiam eccle-  
siam pertinetur. 1748  
Al. et AL. V. 1748  
g. qui viam eum, minus  
ante, et luculenter disc-  
am vna b.  
1748. NOTIUS l. c. alioq. edi-  
ca ibidem ad 1684. in XII.  
lam: et posteriori vnum esse  
ne forma nator sefellit,  
lum forte annumerat.



tiora eorum capita enumerata videsis apud BOEHM. *instit. iur. can. lib. III. tit. VII. §. XVI.* quam vero in genere per concordata politicam artem exerceat curia romana, concinne exponit cit. HIERONYMVS à COSTA *l. a. p. m. CXII. sq.* his verbis: Le grand Principe de la Cour de Rome consiste en ce qu'ils sont persuadés, que le Pape est le maistredes loix, qu'il appartient à lui seul de faire des Canons pour le Gouvernement de l'Eglise, & qu'il est en son pouvoir de changer les anciens, & d'en introduire de nouveaux, selon la necessité des tems, des lieux & des affaires. S'il arrive, que les Princes s'opposent à l'execution de leurs Brefs ou Bulles, ils s'accoutument facilement avec eux par des Concordats, ou par d'autres voyes; sans que cela fasse tort à leurs pretentions; par ce que, comme ils disent, il y a deux sortes de droits, savoir, IUS STRICTUM, autrement le droit de rigueur, lequel ne se peut pas le plus souvent executer; & IUS REMISSVM, qui est un droit un peu relasché, qu'on peut aussi nommer droit d'économie & de prudence, dont l'Eglise s'est souvent servie pour s'accoutumer à l'humeur de ceux avec qui elle avoit affaire. Les Papes sont toujours sur ce pied là à l'égard des Princes, & ce qu'ils n'ont pû obtenir dans un tems, ils esperent d'obtenir dans une autre occasion. C'est sur ce principe que sont fondés tous leurs Concordats & autres accommodemens, qu'ils ont fait avec plusieurs Princes. C'est pourquoi les preuves que le (1) P. Paul tire de la nature des Concordats, pour monstrer, que les Papes n'ont point de droit un pouvoir absolu sur les Revenus Ecclesiastiques, ne sont pas tout à fait concluantes; parce que les Papes pretendront que ces Concordats ne sont faits que par provision & pour un tems, iusqu'à ce qu'ils puissent mettre en execution leur droit dans toute son estendue.

(1) P. Paolo Tratt. delle mat. Benef. ex his licet arguere, quo nasa querelae imperii, de neglectis a pontificibus, ac violatis concordatis germaniae, a statibus catholicis ad imperatorem directae, ab aula romana despiciantur. conf. V. ILL. IO. IAC. MASCOVII, praeceptoris quondam mei colendissimi, *principia iuris publici I. R. G. lib. I cap. V. §. VIII. sqq.*



- (t) vid. BOEHM. *ius eccl. prott. c. l. §. LXIX. LXX. LXXI. it. institt. iur. can. tit. cit. §. XLIII. seqq. nec non diff. de causis arduis & maioribus a. MDCCXV. habita; cap. III. §. XI. n. VII.*
- (v) IDEM *in notis ad A. CORVINI ius canonicum, tit. de electione §. XIIX. n. (pp). & inst. iur. can. lib. III. t. VII. §. XVI. n. (ll).*
- (x, y) IDEM *ibidem c. §. conf. etiam à COSTA l. c. p. 104. sqq.*

## §. X.

QVAE quum ita sint, dici non potest, quantum haec pontificis nomothesia (§. VI. VII.) ad firmandam augendamque romanae curiae tyrannidem, & eneruandam contra, suppressendamque ecclesiae libertatem; cuius tamen iura e manu imperatorum in libertatem pristinam vindicare se velle videri adeo CALIXTVS II. (z.) eiusque, tam antecessores, quam successores laborauerunt; contulerit. est enim omnino ad excitandam inuidiam, ferendas lites, turbandasque electiones, callidissimo efformata studio (a); ita, vt nulla fere electio fieri possit, vbi pontifex, vi concordatorum (§. IX.), & huius distinctionis (§. II. X.), ius constituendi suum exercere non possit, si lubuerit (b).

(z) QVIN ipsa illa in repromissione, quam CALLIXTVS hic cell. imp. HENRICO. V. penes VRSPERGENSEM fecisse legitur, hanc sanioris partis praerogativam (§. VII.) firmare non oblitus fuit. verba huc facientia haec sunt: *vt, si qua inter partes DISCORDIA emerferit, Metropolitanis & Provinci- alium consilio, vel iudicio, SANIORI. PARTI assensum & auxilium praebeas.*

(a) ITA enim A. COSTA l. c. p. 109. *Les Papes, inquit, n' au- roient jamais songé au droit, qui est maintenant établi, si les particuliers, qui DISPVTOIENT. ENTRE. EVX. TOV- CHANT*

*mulam vide apud H. C. SENNERS.  
1911 in Corpore Sic. feud. germ.  
538. 539.*



CHANT. LA. VALIDITE, DE. LEVRS. ELECTIONS. N' AVOIENT. EV. RECOVRS. AV. PREMIER. SIEGE. POVR TERMINER. LEVRS. DIFFERENS.

- (b) AVDIAMVS. BOEHMERVM *iur. eccl. prott. l. c. §. XLIX.* Postquam, inquit, IN. CONCORDATIS papa promisit, se electiones, si CANONICAE fuerint, confirmaturum esse. NB. NISI. EX. RATIONABILI. ET. EVIDENTI. CAUSA. AC. DE. CARDINALIVM. CONSILIO. DE. DIGNIORI. ET. VTILIORI. PERSONA. (vid. §. VI. sqq.) DVXERIT, PROVIDENDVM, praeterea sub variis praetextibus electiones CASARE queat, quo ipso eius provisioni beneficium VACANS subiacet, inde liquet, non satis tutum praesidium capitulis in concordatis positum esse. cont. simul §. LXX. & LXXI. *ibid.*

§. XI.

OPERAE itaque pretium ducimus, in *origines* huius distinctionis votorum electionis, in maiora & faniora (§. VIII.), quam hactenus euoluimus, *anecdota* (e); ac vnde haec infauista libertati ecclesiae (§. X.) doctrina paparum (§. VI.), quod vota scrutinii (§. II.) non numeranda, sed ponderanda potius sint (§. VIII.), primum traxerit spiritum; paulo inquirere studiosius. cum quidem, vt quid pontificibus ansam tam callidae nomothetiae (§. X.) dederit, probabiliter inde constet (d): tum vt, qua fraude capitula libertate sua, ac iuribus circumuenta sint, fallique se passa, quodam inde modo perspiciatur.

- (c) NON id in praesentia quaerimus, quid mouerit pontifices, vt hanc distinctionem, doctrinamque, decretalibus suis stabiliarent. de eo enim, existimo, satis iam ex iis constat, quae (§. X.) dicta sunt: atque in vniuersum verum est, decretales ex constitutionibus pontificum desumptas esse, ad papae auctoritatem & tyrannidem vnice excogitatis. vid. BOEHM.



*iur. eccl. prott. tom. I. lib. I. tit. II. §. VI. sed quid PRIMAM pontificibus huius nomothesia IDEAM suggererit, id est, in quo eruendo nostram exercere diligentiam, vimque ingenii, constituimus.*

(d) QVVM quidem, fatente IVLIANO in *L. XX. de LL. non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi possit*; contra nil iucundius, vilius, amabilius, & ICTO academico dignius est, quam oblitteratas aetate LL. origines, ex antiquitate, historia; arcanis aulae, vel tandem ingenio eruere. neque hoc studium prohibet, quae legem hanc excipit, *L. XXI. ibid. ubi NERATIVS: rationes eorum, inquit, quae constituantur, inquiri non oportet: quod alioquin multa ex his, quae certa sunt, subuertuntur.* namque, vt taceam, verba haec NERATI de praesenti concepta esse tempore, hinc merito de lege nouiter, ac modo lata accipi: cuius quidem rationes rimari subditis vtique omnibus, ex regulis politicis, interdictum esse debet. propterea ego existimem, compilatores iuris iustinianei imperite admodum, haec eius verba per coniunctiones: *Et ideo* legi praecedenti adfuisse. hoc certe extra dubitationis, arbitror, aleam positum manet, hanc legem neutiquam ICTO doctori; sed, si cui, iudici tantum scriptam esse, cui secundum leges semel latas pronunciare & absque ratione incumbit: quod illi principis voluntas sat rationis esse debeat. interpreti vero legum non licere solum; sed hoc partem quoque officii eius esse, vt in causas & rationes LL. adaequatas, hinc & historicas, politicas atque arcanas inquirat; & ipsum interpretis munus; & ciuilibus prudentiae regulae, & maximorum virorum exempla ambiguum amplius esse non sinunt. prouoco ad ALCIATI. BVDAEL. BALDVINI. CVIACII. HOTOMANNI. CONTII. CHARONDAE. BRISSONII. FABRI. AVGVSTINI. GIPHANII. PITHOEL. RAEVARDI. RITTERSHVSII cineres. restor MERILLOS. GROTIOS. GOTHOFREDOS. AVERANIOS. VINNIOS. FREDEROS. HERALDOS. OISELIOS. BRVMMEROS. MENAGIOS. HVBEROS, SPANHEMIOS, BYNCKERSHOCKIOS.



KIOS. BACHOVIOS. NOODIOS. THOMASIOS. HEINECCIOS. SCHVLTINGIOS. WESTPHALIOS. LVD. VIGIOS. STRAVCHIOS. BOEHMEROS, vah! quanta nomina! plures, quorum vestigiis insiltere, sane est optima sequi. quae omnia si non essent, quis quaeso resisteret interno pruritu? quem nouitatis stimulus gignit; veritatis format instinctus; antiquitatis & historiarum nutrit amor: quominus haec LL. mysteria scrutetur. causas enim rerum inuestigare, quid homini amabilius? inuenire, quid gratius? scire vero, quid fructuosius? quae contra quum sint; profecto nulla in re melius, quam in indagandis legum anecdotis operam suam collocabit LL. sacerdos: quippe qua & delectari ipse; & delectare vicissim, insimulque prodesse potest iuris peritus.

## §. XII.

QVEMADMODVM vero ius canonico-pontificium simia est iuris romani caesarei: qua *formam* quidem IVSTINIANEI (d); qua *materiam* vero maxime iuris THEODOSIANI; quod scilicet huius semper maior in OCCIDENTE auctoritas ac vsus manserit, quam vnquam ius IVSTINIANEVVM nancisci potuit (e): ita, vbi ex THEODOSIANO iure primam huius papalis nomothesiaee ideam (§. ant. nota c.) eruero, arbitror fati probabilem de eius origine suppeditabo coniecturam. non enim vltra coniecturas procedere mens est.

(d) conf. SAM. STRYKII *praecognita iuris vniuersi*, (commentario HOPPII ad institutiones in calce adiecta) cap. II. §. I.

(e) QVOD ex instituto demonstrarunt, monstrante B. I. G. HEINECCIO *hist. iur. rom. & germ. lib. I. §. CCCXXXIV.* HERM. CONRINGIVS de O. I. G. cap. IV. & V. IO. SELDENVS in *diss. ad FLETAM. V. II. seq.* IAC. GOTHOFREDVS in *prol. cod. THEODOS. cap. III.* INNOC. CIRONEVS *obs. iur. can. V. II.*

## §. XIII.



## §. XIII.

MAXIMI semper iure consultis fuere honores in rep. ROMANA, tam libera; quam imperata (f): interque hos non vltimus facultas de iure respondendi (g). at vero variam quoque haec Ictorum de iure respondendi auctoritas experta est fortunam: secundum varietatem temporum. primis enim, atque liberae reip. temporibus, omnibus, quibus esset studiorum suorum fiducia, de iure respondere licebat (h): nec iudices his responsis in iudicando stare obligabantur (i). quum vero AVGVSTVS clauum inperii romani capefferet; haec de iure respondendi facultas certis tantum ICTis, & quidem beneficii loco, ab eo indulgebatur: simulque iudices, vt ne ab horum responsis iudicando recederent, adstringebantur (k). hoc AVGVSTI institutum, si vnicum CALIGVLAM exceperis (l); vsque ad HADRIANVM imp. durauit. is vero priscam respondendi licentiam vnicique iterum restituit (m): quae etiam ab eius aetate, vsque ad ALEXANDRVM. SEVERVM imp. communis mansit (n). hinc denuo reductum AVGVSTI institutum, vt facultas de iure respondendi inter priuilegia esset, tum vt iudices hisce Ictorum responsis omnino obligarentur (o).

(f) vide pluribus elegantissimam V. C. ADRIANI. STEGERI ad V. ILL. KVESTNERVM *de honoribus veterum iureconsultorum, dissert. epistolicam*; LIPSAE. MDCCXLIII. (IV.)

(g) conf. all. diss. STEGERIANA *proem. §. I. & III. it. cap. II. §. I. & III.* nec non HEINECCI *ant. rom. syntagma lib. I. r. II. §. XXIX. sq.*

(h) L. II. §. XLVII. *de O. I.* vid. & HEINECCIVS *l. c. lib. I. tit. II. §. XXXVII.*

(i) vid.



- (i) vid. IDEM *c. l. §. XXXVII.*  
 (k) vid. IDEM. *c. l. §. XXXIIX.* rationes politicas huius instituti solide pariter, ac argute exquirat IDEM *c. l. XXXIIX. n. (x).*  
 (l) vid. SVETONIUS in vita CALIGVLAE *cap. XXXIV.* crisi verborum SVETONII exhibet STEGERVS *cit. l. proem. §. V. n. b.*, & HEINECCIUS *hist. iur. lib. l. c. III. §. CCXI in nota*, vt STEGERVS habet. sed, quae mihi ad manus est editio huius operis, HALAE a. MDCCXXXIII. excusa, haec CALIGVLAE verba *capite quidem IV. lib. l. ast §. CLXX.* refert: & crisi eorum, & nota destituitur. hinc me quidem fugit, cui sententiae subscribat, quum citata se subscribere dicat, *l. c.*  
 (m, n.) vid. HEINECCII *synt. a. r. c. l. §. XL.*  
 (o.) vid. IDEM *c. l. §. all. in. f.*

## §. XIII.

NON poterat non, (vt integrum locum HEINECCII (p) huc transcribam,) hoc AVGVSTI priuilegium (§. ant.) sectas (q), summamque iurium incertitudinem inuehere (r). hinc de ea tollenda cogitarunt VALENTINIANVS. III. & THEODOSIVS iunior (s), imperatores; qui PAPINIANI tantum, PAVLLI. CAII. VLPiani & MODESTINI (t) scripta iusserunt valere in iudiciis, & in allegatione plura eorum praeualere paucioribus, ex paribus vero ea, inter quae PAPINIANI (v) essent testimonia: si sententiae denique sine PAPINIANO pares essent, iudicis arbitrio locum esse (x).

(p) *ant. rom. synt. lib. l. tit. l. §. XII.*

(q) vid. V. CEL, G. MASCOVIVS, praceptor meus in academia LIPSIENSI elegantissimus, *de sectis SABIN. & PROCVLIAN. it. EVER. OTTO de sectis ICTorum, & EM. MERILLIVS obs. l. II. seq. alii.*

(r) EO;



- (r) EODEM modo, vt in germania, vbi haec facultas de iure respondendi DOCTORIBVS & LICENTIATIS per promotionem academicam confertur; opiniones communes contra communes, ex varia DD. iurisprudencia dudum ortae sunt, & hodiernum oriuntur.
- (s) augustus auctor codicis THEODOSIANI, qui post SICARDI. TILII. CVIACII. PVTEANI. PITHOEI & SIRMONDI curas luculento commentario immortalis IAC. GOTHOFREDI illustratus, prodiit LVGD. BATT. MDCLXVIII. fol. tomis IV. vid. HEINECCIUS *synt. a. r. prooem.* §. XXII. it. S. STRYKIVS *praecognitis iur. cap. II. de Codice.* §. V. qui annum editionis MDCLXV ponit.
- (t) vid. de horum ICTORUM inter alios praestantiorum aetate, honoribus, ac scriptis HEINECCIUS *historia iuris romani.* de PAPIANO §. CCLXX. *seqq.* de PAVLLO §. CCLXXX *seqq.* de CAIO §. CCLX. (in nota \*); de VLPiano §. CCLXXVII. *seqq.* de MODESTINO tandem §. CCLXXXVI. *sq.* conf. item PANZIROLVS *de claris LL. interpretibus;* & STEGERVS *l. c. passim.*
- (v) hunc etiam IVSTINIANVS adhuc *acutissimi ingenii vtrum,* MERITO. ANTE. ALIOS. EXCELLENTEM. ICTVM vocat, in L. XXX. C. *de fideicomm.* THEOPHILVS vero interpretes §. VII. l. *de fideicomm. hered.* IURISCONSULTORVM EXCELLENTISSIMVM: ex editione DIONYS. GOTHOFREDI de a. MDLXXXVII. p. m. CCXCVII.
- (r) L. un. C. THEODOS. *de responsis prud.* ibique GOTHOFREDVS. add. THOMASIVS *de nouis iurisprud. anteuftinianeae ll. VII. p. m. CXII. seq.*

## §. XV.

HAC ergo horum IMPP. constitutione (§. XIII) iubente, iudicibus vota iureconsultorum, quibus per privilegium (§. XIII. XIII.) facultas de iure respondendi, atque auctoritas data fuerat; mox numeranda, mox pon-



ponderanda (§. V) erant. scilicet si ab altera parte maiores sententiae starent; tunc numerandae erant (§. V.): si pares essent; ponderandae (§. ead): atque tum quidem alterius partis pondus aut ex auctoritate atque consensu PAPIANIANI (y), si is illi opinioni accederet, aestimandum erat (§. XIII); aut ex rei veritate (§. ead.).

(y) DE PAPIANIANO. ICTO. singularem librum conscripsit humanissimus ICrus EV. OTTO, f. r. PAPIANIANVS; de quo hoc HEINECCI est iudicium *hist. ur. rom. lib. I. §. CCLXX. de PAPIANIANO nemo praeclarius meritis est, viro illo doctissimo (EV. OTTONE), qui eius peritiam linguae graecae & latinae, nec non elegantiae, breuitatis, & vetustatis studium, historiae denique ac philosophiae stoicae scientiam, ad caput usque nomum istius opusculi tot argumentis demonstravit, ut nemo futurus sit, qui iliada post HOMERVM scribere velit.*

## §. XVI.

IPSAM hanc legem ciuilem VALENTINIANO-THEODOSIANAM (§. XIV. XV.) saeculo post CHRISTVM natum V. docentibus conciliorum actis (z.), ecclesia tum temporis iam admodum corrupta, ac multifariis sectis, factionibusque concussa (a), adoptauit atque receptita, vt in quaestionibus difficilioribus finiendis id quidem sanciretur, ratumque haberetur, quod aut pluribus; aut grauioribus & celebrioribus superiorum temporum doctoribus verum certumque visum fuerat (b) esse.

(z.) volue, si copia datur, collectiones actorum conciliorum LABEL atque HARDVINI.

(a) conf. historiae ecclesiasticae FLEVRII, abbatis IO. AND. A. SCHMIDII. MOSHEMII, & aliorum.

C

(b) ELE.



(b) ELEGANTER hanc causam exponit VIR. REVERENDISS. IO. LAVR. MOSHEMIVS *instit. hist. eccl. antiquioris, ad saec. V. parte II. cap. III. §. V.* his verbis: *QVI ex his (quos supra nominauerat,) cum CHRISTIANORVM sectis (de quibus pariter in superioribus §. §. actum erat,) decertarunt, SOPHISTARVM potius veterum praecepta, & QVOD MERITO MIRERIS, IVRIS ROMANI NORMAM sequuti sunt, quam exempla & monita CHRISTI eiusque legatorum. IN foris ROMANIS res valde ancipites & dubiae ex auctoritate veterum quorundam ICTORUM dirimebantur. QVI si forte inter ipsos dissidebant, aut ea potior censebatur sententia, cui plures fauebant, aut ea, quam doctiores & clariores viri approbauerant (\*). HAEC ROMANORVM tribunalium consuetudo in controuersis CHRISTIANORVM de rebus diuinis, conciliorumque deliberationibus, magno cum veritatis detrimento, LEGIS INSTAR AB HOC SAECVLO RECEPTA FVIT. id nimirum saniebat, & ratum habebatur. quod aut PLVRIBVS, aut GRAVIORIBVS & CELEBRIORIBVS superiorum temporum DOCTORIBVS, verum certumque visum fuerat. TESTIMONIVM omnia fere, quae supersunt, CONCILIORVM. ACTA dicunt.*

(\* ) *vid. Cod. THEODOS. lib. I. tit. III. de r. sp. prud. p. XXXII. ed. RITTERIANAE.*

## §. XVII.

EODEM. SAECVLO. V. prima basis fundata est praefulis ROMANI in vniuersam ecclesiam tyrannidis: non quidem, vti postea venditatum est, per ecclesiae ROMANAE prae reliquis praerogatiuam, & competens illi in omnes ecclesias christianas ius patronatus (c). sed potius per rixas orientalis ecclesiae patriarcharum; & imperii occidentalis concussionem (d).

(c) PLACEBIT hac de re audire HIERONYMVM à COSTA *l. cit. p. m. CIII. seqq.* sed potiora tantum adferremus. *Personne*



sonne ne peut nier, inquit, que le Pape soit en mesme tems Evesque ou Metropolitan de Rome, Patriarche d' Occident, & CHEF. DE. L' EGLISE. - - - Il ne reste donc, qu' à examiner, s' il peut en qualité de Patriarche d' Occident & de Chef de l' Eglise, pourvoir de Droit à tous les Benefices ou Dignités Ecclesiastiques de toute la Chrestienté. Si nous suivons la preuve de fait, il est de notoriété publique, QVE. L' EGLISE. DE. ROME. N' A. EV. EN. CELA. AVCVN. PRIVILEGE. PAR. DES. SVS. LES. AVTRES. EGLISES. - - - Mais de puis, que les particuliers ont donné occasion à l' établissement du Droit nouveau, il n' a pas esté difficile aux Canonistes, de le soutenir. Pour faire voir, que le Pape est le maistre de tous les Benefices, ils disent, qu' il est le Collateur des Collateurs, & l' Ordinaire des Ordinaires, non seulement dans l' Eglise Occidentale, dont il est Patriarche, mais mesme dans tout le monde, parce qu' il est le Patriarche des Patriarches, ou le Chef de toute l' Eglise. Ils ajoutent de plus, que l' Eglise de Rome a fondé toutes les autres Eglises: & par consequent elle en peut disposer COMME. FONDATRICE ET. PATRONNE. Il est certain, que les Patriarches d' Alexandrie & d' Antioche ordonnoient les Evesques qui estoient dans l' estendue de leur Patriarchat, & que le Pape faisoit la mesme chose à l' égard des Evesques qui sont dans les Regions qu' on nommoit Suburbicaires. D' autre part, les Canonistes monstrent, par les temoignages de St. Leon & de St. Gregoire, & même de quelques autres Peres, que St. Pierre a fondé les Eglises d' Antioche, d' Alexandrie & de Rome, qui sont les trois premieres Patriarchales dont les autres ont pris leur origine.

(d) CONCINNE vt solet, ac eleganter has causas enumerat MOSHEMIVS l. c. §. IV. V; his verbis: HIS malis accedebat ipsa PATRIARCHARVM. AEMVLATIO & ambitio, ex qua detestanda crimina. funestissimaque bella prodierunt. CONSTANTINOPOLITANVS sigillatim. aulae vicinia ac fauore elatus, hinc ALEXANDRINVM & ANTIOCHENVM ditioni suae. tamquam secundi ordinis antistites, subiicere tentabat, illinc ROMANVM laceffere atque prouinciis nonnul-



lis spoliare non dubitabat. ET illi quidem inbecillius obluſa-  
bantur ob inopiam virium, aliasque cauſas, tamenſi nonnumquam  
motus concitarent ſatis vehementes & turbidos: ROMANVS  
vero potentia & opibus multo maior, acrius dimicabat. vulnera-  
que viciffim BYZANTINO infligebat mortifera. NVLLIVS  
horum antiſtitum conatibus fortuna magis fauit, quam ROMA-  
NI; iſque variis de cauſis, quidquid CONSTANTINOPO-  
LITANVS obniteretur, haud modicam potentiae ſuae partem  
adiecit. IN. ORIENTE. ALEXANDRINVS & ANTIO-  
CHENVS, quum ſe in pares eſſe CONSTANTINOPOLITA-  
NO animaduertent, praefidium ſaepe aduerſus vim eius a RO-  
MANO petebant: idem minores faciebant antiſtites, quoties in  
iura ſua ALEXANDRINVM & ANTIOCHENVM inuolare  
videbant. Hos ille omnes ita in tutelam recipiebat, vt ROMA-  
NAE cathedrae ſupremam dignitatem per eos ubique firmaret.  
IN. OCCIDENTE per imperatorum deſidiam & exhaustas vi-  
res omnia fere vrbis primariae antiſtiti licebant. POPVLORVM  
deinde barbarorum victoriae tantum aberat, vt creſcenti eius do-  
minationi officerent, vt eam potius amplificarent. REGES enim  
de conſtabiliendis imperiis ſuis vnice ſolliciti, QVVM. POPV-  
LVM. EX. EPISCOPORVM. NVTV. EPISCOPOS. EX  
ROMANI. PRAESVLIS VOLVNTATE. POTISSIMVM  
PENDERE cernerent, hunc beneficiis & honoribus ſibi concili-  
andum eſſe, ſtatuebant.

## XIIIX.

IAM quodſi cum hac lege VALENTINIANO-  
THEODOSIANA (§. XIII. XV.), illam, in cuius origi-  
nes (§. XI.) haecenus inquirimus, decretalium (§. VI. ſeqq.)  
circa electiones praelatorum (§. I.), per vota capituli  
(§. II.) determinandas, nomotheſiam conferas; quis non  
vides, oppido illas inter ſe conuenire? VT enim 1) vi  
legis THEODOSIANAE regulariter pluralitati ſenten-  
tiarum locus eſſe debebat (§. XIV.): ita in electionibus  
prae-



praelatorum in regula vota capituli maiora (§. III.), valere dicuntur (§. V. VI.): si scilicet altera a parte duplo maiora sint (§. VII.). VT vero II) in aequali contentione sententiarum, hae ICtorum opiniones ponderandae erant (§. XV.): ita in electione praelati per scrutinium facta, si minor pars capituli, alteram numero suffragiorum vincentem, vótorum qualitate aequat; vota non numeranda solum, sed ponderanda sunt (§. II X.). TANDEM, vt III) sententiis ICtorum aequalibus, iudicis erat vtrasque ponderare, & tum iudicio decernere, vtra praeualere opinio debeat (§. XV.): sic si in electione praelati altera pars capituli, eaque minor, alteram numero maiorem, sanitate sua aequat; tota caussa ad *iudicem* harum controuersiarum *competentem*, PONTIFICEM nimirum ROMANVM, deuoluitur; qui ex potestate, qua pollet, sibi concessa, pro arbitrio aut plurium electionem confirmat: aut *minori*, sed *saniori* parti, auctoritatem suam, plusquam PAPIANAM, indulget (e): aut vtramque electionem, tamquam in *discordia* factam, cassat: ac ipse capitulo de nouo praelato prospicit (§. IX.).

(e) per c. XXII. X. de elect.

### §. XIX.

HINC nihil est vero similius, quam ipsam hanc legem VALENTINIANO-THEOSIANAM (§. XIII. XV.); ab ipsis conciliis ecclesiae, a seculo V. legis instar receptam (§. XVI.); *primam praesulibus ROMANIS*, qui ab eodem saeculo V. vtriusque ecclesiae in principes, vel quasi, emerferunt (§. XVII); *huiusmodi circa electiones praelatorum sancienda nomothesia* (§. VI. seqq.) *suppedi- tasse ideam*. quae quidem lex imperatorum, quum inter

C 3

consti-



constitutiones legitimorum principum, ex quibus constructus est CODEX THEODOSIANVS (f), reperitur & extet (g): vides, & in hac re, pontificium ius caesarei, ac in specie THEODOSIANI, simiam factam esse (§. XII.). haud itaque iniuria videor mihi fidem, supra §. XII.) datam, quam fieri potuit, ex asse; illam vero, quam §. XI.) stipulatus sum, pro semisse, liberafse. SVPEREST vt iam eodem studio causas quoque euoluam, ex quibus, qua fraude capitula decepta sint, vt per hanc quidem papalem nomothesium sua se libertae prorsus exui passa fuerint, aequae vero similiter pateat (§. XI.). at vero neque has omnes; neque secundum filum continuae historiae: sed quasdam tantum, praecipuasque, quasi per indicem enumerabo. aliae *generales* vocari possunt, seu communes: aliae *speciales* videntur esse.

(f.) vid. S. STRYKII *praecogn. iur. vniu cap. II. §. V.* item HEINECCII *hist. iur. lib. I. §. CCCXI.* vbi simul opinionem illam communem, quod huncce codicem THODOSIANVM christianorum tantum imperatorum constitutiones ingressae sint: atque hinc ipsae hae constitutiones LEGITIMORVM. PRINCIPVM vocentur, docte refutatam, simulque huius denominationis veram rationem expositam videbis, *in nota, quae §. comitatur, \**.

(g) scilicet *lib. I. tit. III. L. vn. de resp. prudentt.*

## §. XX.

AD causas *generales* summam pertinent omnes illae artes, fraudes, technae, tricae, machinationes, illecebrae, nugae, vt vno verbo dicam, omnes illae infidiae, quibus nullo non tempore, nulla non ferente occasione, CVRIA. ROMANA tantisper sollicitauit ecclesiae libertatem, dum totam pessumdaret, ac vniuersam ecclesi-



clesiam catholico-christianam sibi redderet dedititiam, legibusque suis, tamquam glebae, adscriptitiam. has autem exponere singulas, profecto idem esset, ac paucis plagulis vniuersam historiam tam ciuilem, quam ecclesiasticam, enarrare velle. adeant, qui his rebus delectantur, historicos, imprimis antiquioris & medii aevi: & satis inuenient, quod admirentur, simulque horreant, tricarum vbique papalium (h). imprimis si gallos auctores consulant. interim quae prima tyrannidis huius papalis fuerint stabilimenta, supra iam (§. XVII.) inuimus: quin ibi dicta hic nobis sufficere videntur (i). & quid tandem, bone DEVS! ecclesiae inferiores, earumque capitula, ab eo sibi fieri non perpesurae erant, qui ex episcopo in metropolitanum; ex metropolitano in patriarcham; ex patriarcha in successorem D. PETRI; ex successore D. PETRI in caput totius ecclesiae christianae; ex capite totius ecclesiae in successorem CHRISTI; ex successore CHRISTI in VICEDEVM se transformare sciuit: quin, si DEVM ex coelo expellere suo anathemate potuisset; forte in DEVM ipsum se transformasset: quasi qui rationem causamque diuinitatis suae in se ipso haberet; omnipotens, vbique praesens, & fallere nefcius, & falli (k). scilicet!

(h) PERTINENT huc praeter *communes* historicorum collectiones; FLEVRII *histoire ecclesiastique*, XXIII tomis in VIII. consistans. equidem e viuis decessit ILL. autor, quum XX. tomum finiuisset: sed continuatorem nactus est, ut ut minus aequo animo causas tractantem. huius sunt IIII reliqui tomi: quin hodie eum continuari hoc opus fertur. sed a temporibus reformationis his adeo non indigemus subsidiis. LVDOVICVS. THOMASSINVS *de disciplina ecclesiastica antiqua* III tomis in folio; origines rerum, progressum, atque praesentem statum, ut bonum



num historicum decet, semper coniunctim exponens. PHILIPPI, MORNÆI *mysterium iniquitatis*; progressum papatus, simul cum contentionibus ea propter motis, ex scriptoribus coaeuis, egregie demonstrans. LOVIS, MAIMBOVRG *histoire de la decadence de l' Empire*: cuius versio germanica, per personatum SVMATVRE, DRIVIVM, prodiit FREYBVRGI a MDCLXXXVIII. in f. VIII. in nuce rem inuenies penes S. PVFENDORFIVM *in historia statuum EVROPÆ cap. XII. de sede romana*; notis CHR. THOMASII illustrato. plures vides in ILL. I. H. BOEHMERI *adparatu iuris canonici*, quem bibliopola, incio auctore, ARITHNERI *instit. iur. can.* quasi hederam vino minus vendibili, adiunxit.

- (i) vid §. XVII: item verba HIER. á COSTA supra §. X. n. a.) a nobis relata; quae digna sunt, ut hic repetantur. *Les Papes, inquit, n' auroient jamais songé au droit, qui est maintenant établi, si LES PARTICVLIERS, qui disputoient entre eux touchant la validité de leurs elections, n' avoient eu recours au premier siege, pour terminer leurs differens.*
- (k) QVAE ne cui paullo audactius dicta videantur; prouoco ad historiam ecclesiasticam, ipsasque ipsorum decretales, nemo vero portentosum systema iuris publici curiae papalis melius ad viuum parua effigie exposuit, quam BOEHMERVS saepe *citt. institut. iur. can. lib. I. tit. V.* is scilicet, postquam in §. XXVI. l. c. PONTIFICEM. ROMANVM *ex mente proprii iuris definiuit, quod sit: supremus in rep. ecclesiastica vniuersali imperans, (per. c. XII. X. de iudic.) cum potestate independente, in omnes ecclesias christianas, iisque subiectos supremum imperium exercendi, & vniuerso orbi leges praescribendi: (per c. XXIII. X. de priuil.)* ita §. XXVII paraphrasin huius definitionis subiungit: DICITVR enim VICARIVS. IESV. CHRISTI) *c. II. X. de transl. episcop.)*: quod ipse facit, DEVS fecisse intelligitur, (*c. III. de transl. episc.*) quia DEVS *in terris (c. 7. D. 96. c. vn. X. ut eccl. benef. sine dem. conf.)* dicitur REX REGVM, & DOMINVS DOMINANTIVM, omnibus praeponendus. (vid, ANTON. MATTHAEI *in manu duct. ad ius can. lib. I. tit.*



tit. III. p. XVIII. seqq.). folio & corona triplici gaudet, quae REG-  
 NVM. MVNDI vocatur: - - cum etiam in omnia regna sibi pote-  
 statem attribuat (BELLARMINVS de pont. rom.), etenim ex  
 mente iuris pontificii omnes imperantes ei capita sua submittere  
 debent (c. XIII. X. de iudic.); inobedientes regnis priuat, & re-  
 gna transfert (c. VI. X. de vot. c. II. de sent. & re iud. in 6.):  
 ius examinandi personam electam in regem, & promouendam ad  
 imperium sibi vindicat (c. XXVIII. de elect.); iuramentum fide-  
 litatis ab ea exigit (clem. de iureiur.), vacante imperio ad se o-  
 mnem iurisdictionem & regimen reuerti credit: (c. vn. extrau.  
 IO. XXII. ne sede vac.). VTRVMQVE. GLADIUM tam spi-  
 ritualem, quam temporalem per OMNIA. REGNA sibi arrogat  
 (c. I. extrau. comm. de maior. & ob.), regibus in regimine ne-  
 gligentibus coadiutorem vel vicarium dat, & ita eorum negligenti-  
 am - - - supplet (c. II. de suppl. negl. praelat. in 6.). - - -  
 inutiles reges deponit (c. III. C. XV. q. VII.), jus nominan-  
 dorum regum sibi vindicat, add. & conf. simul §. XXII. XXIII.  
 XXVIII. XXV. lib. I. tit. I. quin addo: omnes iudicat; a ne-  
 mine iudicatur (c. X. X de episc: C. II. q. V.). factum pa-  
 pae reputari debet factum a DEO (c. quant. de transl. e-  
 pisc.). collator collatorum, ordinarius ordinariorum, patriar-  
 cha patriarcharum vocatur. quid? papa est monarcha abso-  
 lutus, rex regum, imo solus in orbe imperator; ait MAR-  
 TA in epistola r. mae scripta ad PAVLVM. V. solus rex, so-  
 lus princeps, vicedeus, omnipotentia praeditus, vid. IO.  
 STRAVCHII amoenitt. iur. can. ecl. I. cap XVII. n. 5. et  
 quis tandem singula hierarchiae papalis monstra enumera-  
 ret? vt verbo dicam: DEVS est, & sui ipsius idololatra;  
 falli nescius, fallere omniscius; dominus dominantium, &  
 seruus seruorum; viusque tandem antropomorphismus. =

= plura si vis, dignus es  
 conferas, n. strava. ecc.  
 papa pharisaicus, r.  
 cap. II. libellus historice  
 & theologiae conscriptus  
 1608. VIII.

## §. XXI.

AD. CAUSSAS *speciales* (§ XIX) in primis refero I)  
 ad parentem huius nomothesiae papalis (§. VI.) pietatem. le-  
 gitima,

D



gitima namque suffragia, ut verbis ANDREAE AMSELLII (l.) utar, non videntur aestimanda ex pluralitate suffragantium, sed potius ex natura, & qualitate sua, vtrum nimirum a sincero & incorrupto iudicio profecta sint, rationibusque veris & solidis nitantur; an vero contrario modo sint affecta. neque, ut cum lege (m) loquar, ex multitudine auctorum, quod melius & aequius sit, indicandum venit, quum possit vnus fortitan & deterioris sententia, & multas & maiores in aliqua parte superare.

(l) antecessoris quondam huius academiae consultissimi, in *discursu iuris publici: de rege succedente*, A. MDCLXXX. publice in cathedra ventilato; *cap. III. §. III.*

(m) vid. *L. I. §. VI. C. de V. l. E.*

## §. XXII.

II.) RECEPTIONEM, vel potius imitationem legis VALENTINIANO-THEODOSIANAE (§. XLIII.), ad definiendas causas religionis, a conciliis ecclesiae, circa deliberationes communes, saeculo p. CHR. natum. V. (n) facta (§. XXVI.): quae primam probabiliter praefulibus romanis, ab eodem saeculo cristas dominationis suae erigentibus (§. XXVII.), ventilatae nomothesiae ideam suggessit (§. XIX.). quod enim conciliis placuerat, iustumque visum fuerat; quidni & in causis priuatorum obtineret? imo vero legis instar obligare debebat, quod fuerit *tacita communis reipublicae ecclesiasticae sponsio* (o).

(n.) QUID. QVOD iam ante hoc saeculum V. doctrina, siue sententia illa, quod in electionibus praelatorum ecclesiae suffragia eligentium ponderari, ac aestimari debeant, per ipsam quamdam concilii actionem constituta videatur, atque inuecta. ITA enim patres in CONCILIO CARTHAGINEN-

SI



Sl. III. saeculo quidem IIII. habito, c. XL. cauerunt: *ILLUD* statuendum est, ut quando ad eligendum episcopum conuenerimus, si qua *CONTRADICTIO* fuerit suborta, quia saepe talia sunt facta apud nos, non praesumant, ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres tantum accedere, sed postulentur ad numerum supra dictum, duo vel tres in eadem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primo *PERSONAE. CONTRADICENTIUM*: postremo etiam illa, *QVAE. OBIIICIVNTVR*, pertrahantur, & cum *PVRGATVS* fuerit sub aspectu publico, ita demum ordinetur. vid. c. V. D. XXIII, de elect.

(o) arg. L. l. de LL. SCtis & L. C.

## §. XXIII.

OMNIVM vero proximam huius rei causam arbitror fuisse *ILL* nefarium praelaturarum ecclesiasticarum ambitum. postquam scilicet ecclesiae in titulos & redditus (p); episcopatus in dignitates & lauta beneficia (q); ministeria in honores, munera, & quaestus (r); transferant: breuibus, postquam praelati ex domnis (s) domini & principes facti erant: mira semper fuit de obtinenda hac sedis vacantis maioriata, inter capitulares, tamquam de pomo *ERIDOS*, concertatio (t). inde vero quid aliud, quam contentiones, aemulationes, discordiae, lites oriri poterant? quibus componendis quum ipsi, aequales, pares non essent, iudice diribitore omnino opus erat. atque en! praesto aderat praeful romanus, omnium causarum ecclesiasticarum, inprimis maiorum ac arduarum, iudex summus ac competens. ad hunc itaque conuolandum utriusque parti: ad hunc inquam iustissimum aequissimumque, ac prorsus diuinum iudicem (§. XXI. & XX.): qui vota non numerari, sed ponderari debere; neque parti saniori, numero maiorem praeualit-

D 2

turam

vid. I. N. STELLING in diff. de  
cial. 2. §. 1. rebus publicis  
l. 2. 4.

quorum est confirmatio  
episcopum et praelatorum  
vid. I. N. STELLING in diff.  
de rebus publicis et maioribus  
III. Spec. §. II. n. 11.



turam; neque se iustiori cuiuspiam petitori defuturum, oraculo suo religiosae ambitioni sanctissime persuaerat. imo vero, qui neutri, sed sibi fauens, omnium optime hanc litem sua prouisione finiturus erat: tertium quemdam suum interuenientem, quasi candidatum herciscundum constituendo (§. IX.).

(p.) conf. BOEHM. *institt. iur. can. lib. 1. t. XI. §. IX.* & HIER. A. COSTA *hist. des reuenus eccl. passim: speciatim p. L. seqq.*

(q) ORIGINEM & progressum beneficiorum ecclesiasticorum secundum temporum rationem, ex monumentis historicis, eleganter & chronologice demonstrat IDEM. A. COTSTA *l. c. p. CLIX seqq.*

(r) vid. IDEM *per integram historiam* it. MOSHEMII' *hist. eccl. ant. per singula saecula.*

(s) QVEM scilicet fugit, *domnorum* elogium diagnosticum semper praelatorum ecclesiasticorum titulum fuisse: atque hoc encomio, quasi modestiae & abstinentiae suae symbolo, vniuersim olim vsos fuisse, quin mirifice sibi eodem placuisse clericos maiores omnes. rectius autem, ni fallor, *domnicellos* se vocassent, vocarique se fecissent domni praelati inferiores: quum ipse *pontifex maximus* tantum *domnus*, nec ultra, audiuerit. is vero seruus seruorum est, cuius iterum sunt serui inferiores; atque olim vere serui fuerunt: vid. BOEHMERI *oratio secularis de meritis AVGVSTANAE confessionis in rem iuridicam: & diss. sec. de beneficiis AVGVSTANAE confessionis: inunctim editae: speciatim posterioris caput II.*, quod de commodis A. C. intuitu catholicorum agit. inde est, ut ad rem reuertar, quod suspecta videretur IO. STRAVCHIO *amoenitt. iur. can. semestri l. ecloga 1. cap. XVII. n. 1. 2. 3.* P. GREGORII inscriptio proemii decretalium, vbi GREGORIUS. IX. DOMINVS salutatur, qui mox in salutatione SERVVS. SERVORVM indigitatur. & suspicatur hunc *honoris titulum* ab editoribus processisse, certum enim est, inquit, *pontifices non DOMINOS sed DOMNOS olim fuisse dictos, ut tradit ONVPHR. PANVINIVS in*  
inter-



*interpretatione vocum ecclesiasticarum, quae obscurae vel barbarae videntur. ita epistolis IVON. CARNVTENSIS indigitamentum DOMNI, quam DOMINI frequentius occurrit, & testatur ALB. KRANTZIVS lib. V. c. 34. 37. 38. dum agit de pace & inuestituris concessis olim imperatori, tunc summum pontificem non sanctissimum DOMINVM aut PATREM, sed DOMNVM fuisse adpellatum. domicellum autem diminutivum domini esse, veteres abunde loquuntur chartae diplomaticae. item inde petenda caussa est, quod his, & forte aliis quoque in terris, verbi diuini ministri, & ecclesiarum pastores, **Ehren Pastoren** non **Herrn Pastoren**; praepositi **Ehren**, non **Herrn Präpositi**; superintendentesque, qui hodie in provinciis ecclesiasticis territoriorum euangelico protestantium muneribus veterum episcoporum ecclesiasticis, quae ordinis vocari solent, perfunguntur; conf. ZIEGLERVS de superintendente: non **Herrn Superintendenten**; sed **Ehren Superintendenten**, audiunt. testor haec in re stilum curiae & consistorii ducalis huius principatus: de cuius origine, indole & potestate vid. C. WOLDENBERGII, olim nostratis, diss. de origine consistoriorum, inprimis megapolitani potestate, iurisdictione, & officio consistorialium. testor & publicas ordinationes, in specie illustrationem ordinationis eccl. reuifae, de a. MDCCII. vbi multis in paginis huius rei testimonia occurrunt.*

(c) vid. tantum A. KRANTZII metropolis. FCF. MDLXXVI. in fol. *potius. voluatur*  
*et exempla huius rei saepe abunde occurrunt. conf. etiam 1. 4. HEATII. diff.*

## §. XXIII.

DENIQUE vt ius fieret haec distinctio; legisque ad instar omnia obligaret terrarum germaniae capitula haec papalis legislatio; vltimam, vt ita dicamus, manum huic instituto inposuere III. concordata nationis germanicae, tam inter CALIXTVM. II. P. R. & HENRICVM. V. imp. quam postea inter imp. FRIDERICVM III. & NICOLAVM. V. papam, compactata (S. IX.) quibus, si postea multum suae sibi libertatis, ac potestatis

*potius. voluatur*  
*et exempla huius rei saepe abunde occurrunt. conf. etiam 1. 4. HEATII. diff.*  
*ialibus 2. 4. 8. et*  
*act. II. 8. 13. vbi insigni*  
*monium Chronicae Cha*  
*ari apud REPERIUNT*  
*in. Scriptor. Germ. c.*  
*1200.*



tis detractum persensere capitula (t); id antecessorum fuorum aduersus imperatores odiis, in praesules vero romanos fiduciis tribuant, quibus factum, vt propriis armis, propriisque artibus in propria viscera saeuierint, propriamque laborarint in ruinam (tt). immo vero, vel ea propter damnum hoc minus sentire fingant, quod illud propria culpa sentiant (u).

(t) vid. *grauamina nationis germanicae contra curiam romanam*, ex recensione IO. FR. GEORGII.

(tt) teste vniuersa historia I. R. G. antiquiori, & medii aevi.

(u) per *L. CCIII. de R. I.* EO maiores vero grates habeant megalandro nostro M. LVTHERO, fallor, DEO inquam T. O. M. habeant, pro libertate ecclesiae a iugo papali per reformationem illam saluberrimam saec. XV. & XVI. feliciter vindicata; beneficiaque & merita A. C. de quibus vide meditationes BOEHMERIANAS *supra citt.* suos quoque in vsus conuertant.

§. XXV.

AVT fallor egregie; aut ex hactenus dictis (§.§. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIII.) satis constat dilucide de rationibus, quibus capitula, varia sub specie decepta, eo sensim perducta fuerint, vt illam, cuius circa origines indagandas haeremus, papalem de votis electionum non numerandis, sed ponderandis, neque ex quantitate, sed ex qualitate aestimandis, nomothesium (§. VII. seqq.), tam aequo animo receperint, suaeque libertati, vt frenum iniici passa sint. quod, quando adhuc demonstrandum erat (§. XIX.); iam quidem citra iniuriam nobis de fide supra (§. XI.) data, plene liberata, gratulari posse, existimamus.

§. XXVI.

VERVM enim vero, vt rubro huius opellae pariter ex asse satisfiat, restat adhuc *non usum* huius, quam tractamus,



ctamus, distinctionis, ex solidis rerum argumentis demonstrare ita; vti in fronte huius opellae polliciti fuimus. huic itaque negotio vltimum iam nos adcingimus, atque, vt ordinem dicendorum praemoneamus, I) ex ipsa scrutini indole, ac forma; II) ex propria confessione canonistarum; III) ex reformatione concilii TRIDENTINI; *in genere: in specie* vero de terris protestantium, ex hodierna illorum in ecclesiasticis constitutione, quam fieri potest, euidenter demonstrabimus, distinctionem illam votorum electionis in maiora & saniora, vna cum omni sua causa, conclusionibus suis, ac confectariis, amplius nec in terris catholicorum, nec in terris euangelico-protestantium, locum, vim, vel vsum habere, vel habere posse vllum. feliciter!

## XXVII.

FORMA. SCRVTINI secundum *c. XLII. X. de elect.* haec est: praesentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumantur tres de collegio (x), fide digni, (y) qui secrete (z), & figillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta (a), mox publicent in communi (b): nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto: vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior & sanior pars capituli consentit (c).

(x.) QVI *scrutatores* vocantur. horum duo iuniores primum a seniore iuramentum recipiunt: post ipsi coram illo sacramentum persoluunt. tum omnes reliqui coram ipso & reliquiis, flexis genibus iurant.

(y.) tales fiunt per iuramentum, de quo nota praec. x): imo vero, ne in potestate illorum sit, pro lubitu per concursum suum maioritatem, sit venia verbo, efficiendi; ante omnia scrutatores a semet ipsis primum vota exquirere debent,

(z)



- (z) SINGVLORVM scilicet *eligentium nomina numquam publicanda sunt*; LEVRENIVS *de for. benef. s. ll. c. ll. qu. 347* ad euitandam nimirum omnem inuidiam. hinc etiam suffragantes vel scriptim vota sua ferunt, aliena manu consignata: aut, quod tunc praecipue moris est, si ex gremio collegii *decanus* eligendus est; singula capitularium nomina in schedula quadam iam conscripta exhibentur, quae ad singulum nomen incisa est. ex hac suffragium laturus eius nomen sibi sumit, cui praelaturam fouet, hocque in urnam scrutini conicit.
- (a) HIC scilicet modus per schedulam scriptam vouendi in electionibus *praelatorum* ordinarius est. in electione *imperatorum* electores vota sua viua voce dant scriptura autem, vt *not. z.*) dictum, plerumque aliena manu exarari curatur.
- (b) IPSA publicatio fit a scrutatoribus, vel vno eorundem, hoc modo, vt NB. tantum exprimantur *personae, quae suffragia meruerint*; non vero, quot ex electoribus in hanc, vel illam personam inclinauerint: *vel quaenam illae fuerint*. TAMBYRINVS *de iure abbat. diff. V. qu. VI. n. XII.* de forma scrutini canonica summam, auctor classicus est PETR. MARIANA, PASSERINVS *de electione canonica*, in fol. de forma scrutini in electione pontificis speciatim conferri ac legi meretur, IO. FRID. MAYERI *de electione romani pontificis commentarius*: HOLMIAE & HAMB. MDCXC. in IV. adiu. Et is candidato papalis dignitatis, eiusdemque promotori, h. e. emin. cardin. A. ZOLLINI *aphorismis politicis, quae in conclauis obseruanda habeat cardinalis pontificium axioma ambiens, huiusque desiderii fauens*; OSNABR. MDCXCI. in IV. item ANONYMI *Cardinals Zur, oder Bericht von den Cardinälen*: vbi simul exponitur: *Was sich in dem Conclave, oder Wahl: Sauss, von zwey Hundert und mehr Jahren, denckwürdiges begeben und zugeragen*. III. tomis in XII. cum figg. aenis; MDCLXVII. speciatim tom. I. cap. XVII. vbi de electione rom. pontificis.
- (c) ATQVE eadem haec scrutini solemnitas etiam apud protestantes est obseruanda: PERTSCH, *elem. iur. can. P. I. lib. I t.*



I. t. XVII. §. CCLXXXVI. n. \*\*\*): & praxi seruetur, teste BOEHMERO *iure eccl. prott. l. saepe cit. §. 1. in capitulis protestantium.*

## §. XXIIIX.

NONNE vero haec forma ac indoles scrutini ( §. XXVII ), ab ipsis pontificibus in *cap. XLII. X. de elect.* praescripta ( §. ant. ); ac longo vsu inueterata ; ita, quae- so, comparata est, vt *non vsus* papalium constitutionum, quae vota scrutini non numerari, sed ponderari iubent ( §. lIX. ); atque propterea distinctionem illam inter *vota maiora & saniora* introduxere ( §. ead. ): statim vni inde adpareat cuique ( §. XXVI. ) ? ENIMVERO vi *decretalium* ( §. VII ), si altera pars eligentium numero praeualet ; altera eligentium auctoritate, electique meritis ; vota non numeranda, sed *ponderanda* sunt : illa maiora ; haec saniora vocantur ( §. lIX. ). *ponderare* vota, est illa ex *qualitate* sua aestimare : *numerare*, quantitatem illorum respicere vnice ( §. ead. ). DECRETALIBVS itaque hisce si satisfieri debet, de singulorum suffragiorum *qualitate* debet constare : atque quum haec ex *suffragantis auctoritate* aestimanda sit ; *quis singula tulerit*, verum enim vero secundum formam scrutini canonicam, vota ferenda ac colligenda sunt secrete ( §. XXVII. ) : nec vnquam singulorum eligentium, suffragantiumque *nomina publicanda* ( §. cit. n. z. ). quo pacto itaque *qualitas* votorum erui poterit ? vnde innotescet, in quemnam viri *auctoritate* praestantiores consenserint ? quo ergo modo suffragia ponderari poterunt ? quo tandem cum effectu distinctio votorum in *maiora & saniora* in *vsu* deduci poterit *practicum* ? ecquis inquam,

E non



non videt, non usum totius huius nomothesiae papalis per ipsam canonicam scrutinii formam demonstrari?

## §. XXIX.

ADEO aperta haec res est, ut ipsi canonistae pontificii non potuerint eam inficias ire (§. XXVI). testor hac in causa GONZALEZIVM. A. TELLEZ in commentario ad ius canon. pontif. ad c. LVII. X. de elect. testor etiam CIRONIVM in comment. ad decretales tit. de elect. p. XXIII. atque ad hos ambo veritatis testes in praesentia prouocare sufficiat. equidem libenter ipsa illorum verbotenus huc transcriberem testimonia: sed quoniam horum auctorum copiam haecenus hic ROSTOCHIII nancisci non potui; ut ad illos me tantum remittam, necesse est.

## §. XXX.

NEQVE vero ipsa capitula, horumque antistites haud videre, hanc papalem nomothesiam tum solido fundamento destitui: tum vnice in fraudem suae circa electionem praelati libertatis inuectam esse. tantum scilicet abfuit, ut non perspicerent, eam eum vnice in finem esse excogitatam; quo papa romanus ius, vim ac potestatem habeat, quotiescumque lubuerit, ipsorum electiones inanes reddendi: atque tum ipsis inuitis alium quemdam praelatum suum obrudendi (§. X.): ut potius hanc aulae romanae auctoritatem, infidiose quaesitam (§. XXsq.), per infidias iterum oppugnare ac reformare studuerint, per indirectam quamdam CONCILII TRIDENTINI sanctionem. namque non directo illam abrogare vel voluerunt, vel potius potuerunt patres ecclesiae, ibi congregati, ut fortean nonnemini in mentem venire

re



re posset, qui nostros canonistas adeo absolute ad CONCIL. TRIDENTINI *sessionem XXV. de regularibus c. VI.* prouocare legit, vbi distinctionem illam votorum in maiora & saniora amplius in vsu non esse tradunt. sed, quae insignis fuit illorum prudentia, id tantum decreto sibi communi stipulati sunt: IN electione QVORVM-CVMQVE. SVPERIORVM (praelatorum), *electionem fieri debere per vota SECRETA, ita, vt singulorum ELLIGENTIVM. NOMINA non publicentur* (e). quo ipso tamen reuera totam fregere atque subuertere papalem circa electiones capitulorum potestatem, ex veteri nomothesia descendente. enimvero per id, quod nomina singulorum eligentium non publicanda sunt, vtramque vsu suo pragmatico prorsus priuari, §. *antedenti* vberius demonstratum est. hinc est, quod *non vsu distinctionis votorum electionis in maiora & saniora, etiam ex decretis huius concilii patere supra (§. XXVII.) diximus.*

(d) vid. §. XXXIX. quin ipsam legem illam VALENTINIANO-THEODOSIANAM, quae primam vero similiter huic papali distinctioni, ac nomothesiae ideam suggessit (§. XIX), parum sapere legislatariam prudentiam docuit THOMASIVS *de naeuis iurpr. anteiust. l. supra. cit.* quare eam etiam ex codice suo exulare iussit IMP. IVSTINIANVS. L. I. §. VI. C. de V. I. E. verbis supra (§. XX in f.) exscriptis.

(e). vid. *textus concilii tridentini l. c.* apud IO. HENRIC. HEIDEGGERVM in anatome concilii tridentini. TIGV- RINI. MDCLXXXII in VIII.

### §. XXXI.

VERVM vero, quum in foris protestantium concilium TRIDENTINVM prorsus reipuat (f) : neque



## XXXVI

idcirco tuto pro illis allegari possit; vti contra eos a catholicis plane allegari nequit (g). e contrario vero status euangelico - protestantes per augustam pacem GVESTPHALICAM, summum in ecclesiasticis adepti sint potestatem; a nemine mortalium dependentem: ipsorumque territoria, qua ecclesiastica, prorsus aliam cum religionis conuersione acceperint formam, atque constitutionem (h). hinc opus videtur omnino esse, vt de terris protestantium *in specie* agamus (§. XXVI; atque qua capitula mediata (i), vti vocantur, in terris euangelicorum adhuc conseruata, *non vsum* distinctionis huius, ac nomothesia, a nobis haectenus *in genere* demonstratum, specificè comprobemus.

(f.) QVAE contra hoc concilium emanarunt protestantium scripta, videlicet apud FABRICIUM *tom. XI. biblioth. graecae, p. DCCXII seqq.* ad quae quoque pertinet §. *ant. n. e.* all. trutina HEIDEGGERIANA.

(g) vid. BOEHMERI *institt. iur. can. lib. I. tit. VII. §. XXVII. n. 2.*

(h) teste historia I. R. G. publica; instrumento pacis OSNABRVGENSIS GVESTPHALICAE; ac ipsa hodierna territoriorum euangelicorum, cum catholicis comparatorum, constitutione.

(i) DE *immediatis* enim nullum est dubium. haec nimirum inter potestates imperii sunt, & quoniam A. C. addicta, eadem in ecclesiasticis, qua caeteri principes, A. C. adhaerentes, independenti libertate gaudent. hinc deficiente iudice superiori, electiones suas, pro more aliorum collegiorum, per *vota sua maiora* definiunt. *per princc: iur. publici*).

## §. XXXII.

CONSTAT autem inter omnes, qui verba, vim & vsum I. P. GV. norunt, per illam l) omnem potestatem papae circa res & causas ecclesiasticas, in terris



protestantium *suspensam* esse (k). ll) omnem ad curiam romanam recursum litigantibus prorsus esse interclusum (l.). ll) omnem, quam antea IMPP. vel PONTT. circa ecclesiam habuerant potestatem, in principes territoriorum immediatos esse deuolutam (m). quae tria iuris publici ecclesiastici si penitus perpendas axiomata; euge vides, a) pontificem rom. non amplius esse in terris protestantium, quae circa electiones capitulorum forte suboriuntur, controuersiarum iudicem (ax. l. §. IX.). b) principes euangelicos eodem circa capitulorum, suis in ditionibus exstantium, mediatorum, electiones pollere iure ac potestate, quibus antea gauisi fuerunt PP. RR. (ax. ll.). neque c) his in causis iudicem agnoscere superiorem vllum (ax. ll.).

(k). vid. ART. V. §. XLIX, l. P. OSNABR.

(l) vi art. cit.

(m) vi art. cit. conf. V. ILL. l. l. MASCOVII *principia iur. publ. lib. V. cap. l. speciatim §. XXII, XXIII*. immunitatem enim personarum & causarum ecclesiasticarum a iurisdictione seculari imperii, iam OTTO. IV. FRIDERICVS. II. & CAROLVS IV. peculiaribus constitutionibus sanciuere. vid. IDEM l. c. §. XIX n. \*) & §. XX.

### §. XXXIII.

IPSI vero celsissimi principes, terrarum protestantium domini benignissimi, quae maxima est illorum clementia, agnoscunt, a) doctrinam illam papalem, quod vota capitulorum non numeranda, sed ponderanda sint, & rationi naturali, & omnium collegiorum consuetudini (§. III.), & ipsi scrutinii formae, apud protestantes hodie obferuandae, & obferuari solitae (§. XXVII n. c.), re-fragari (§. XXIX.). b) ex minus sincera pontificis romani  
inten-



## XXVIII

intentione promanasse (§. X.). c) ipsam pontificis rom. circa electiones capitulorum potestatem, per concilii tridentini reformationem iam fuisse fractam (§. XXX. coll. ax. III.) & si tandem d) iure quodam suo quoque papali iure hodiernum vti valeant (n), benignius tamen se acturos esse, si, vt solent (o), per commissarios suos actum scrutinii dirigi curent potius, quam turbatum sua prouisione emendent. atque hinc est, vt non *usum*, quem expono, *distinctionis votorum electionis in saniora & maiora, in foris speciatim protestantium adserturus* (§. XXVI.), ad experientiam potius, quam argumenta, prouocare malim.

(n) conf. scriptores de iure principum german. euangelicorum circa sacra & ecclesiam, quorum syllabum videtis apud PERTSCHIVM *elem. iur. can. lib. I. tit. V. §. CXXI. n. \**: & penes THOMASIVM, *hist. content. inter imper. & sacerdot. in appendice.*

(o) vid. IDEM. PERTSCHIVS *l. all. lib. I. tit. XVII. §. CCLXXXVI. n. \*\**)

## §. XXXIII.

HAEC sunt, quae de DISTINCTIONE, VOTORVM. ELECTIONIS, IN. MAIORA. ET. SANIORA, ex *iure ecclesiastico*, atque *historia*, meditari conatus sum. equidem fateor, singula, quae protuli, & multo eruditius, & multo solidius, & multo elegantius, copiosiusque dici potuissent, ab aliis, quibus maior suppetit rerum huc pertinentium notitia, maior studiorum otium, maior ingenii atque dicendi vis, maior denique suppellectilis librariae, ac monumentorum copia. verum vero sufficit mihi virium mearum tam ardua in re fecisse periculum: imo bonis omnibus satis mihi fecisse videbor, si vel quodam modo me themati meo satis fecisse iudicabunt. exhaurire enim illud atque omnibus satisfacere, nec in viribus fuit meis; nec in votis, quantum praestiterim desiniant aut vota maiora; aut saniora.

T A N T V M

§§ ( \* ) §§























the scale towards document

A. VALIDITE, DE. LEVRS. ELECTIONS. N' EV. RECOVRS. AV. PREMIER. SIEGE. POVR LEVRS. DIFFERENS.

S. BOEHMERVM *iur. eccl. prott. l. c. §. XLIX.* quit, IN, CONCORDATIS *papa promisit, se e-* CANONICAE *fuertint, confirmaturum esse.* NB. ATIONABILI, ET. EVIDENTI, CAVSA. AC. NALIVM, CONSILIO. DE. DIGNIORI, ET. PERSONA. (vid. §. VI. fqq) DVXERIT, PRO- I, *praeterea sub variis praetextibus electiones CAS-* quo ipso eius *prouisioni beneficium VACANS sub-* quet, non satis tutum *praesidium capitulis in con-* um esse. cont. simul §. LXX. & LXXI, *ibid.*

§. XI.

itaque pretium ducimus, in *origines hu-* s votorum electionis, in maiora & fan- iam hactenus euoluimus, *anecdota (e);* nfausta libertati ecclesiae (§. X.) doctri- . VI.), quod vota scrutinii (§. II.) non nu- ponderanda potius sint (§. VIII.), primum m; paulo inquirere studiosius. cum qui- ontificibus ansam tam callidae nomothe- lerit, probabiliter inde constet (d): tum capitula libertate sua, ac iuribus circum- lique se passa, quodam inde modo per-

n praesentia quaerimus, quid mouerit pontifices, inctionem, doctrinamque, decretalibus suis stabi- eo enim, existimo, satis iam ex iis constat, quae a sunt: atque in vniuersum verum est, decretales ionibus pontificum desumtas esse, ad papae au- & tyrannidem vnice excogitatis. vid. BOEHM.

B 2

*iur.*